

~~12371~~

~~Box 539~~

Box 383

No. 6

7676

Programm

des

Königl. Evangelischen Gymnasiums

zu

GROSS-GLOGAU

für das Schuljahr von Ostern 1862 bis Ostern 1863,

mit welchem zu den

Schulfeierlichkeiten am 27. März

ehrerbietigst einladet

der Director

Dr. G. A. Klix.

Inhalt.

De genetivi substantivorum in ius et ium exeuntium forma aliquot observationes scripsit

Dr. A. Petermann, Gymnasii Professor.

Schulnachrichten. Vom Director.

Druck von W. Struensee in Glogau.

OSTERN 1863.

Printed in Germany

De genetivi substantivorum in *ius* et *ium* exeuntium forma aliquot observationes.

Bentleius ad Terent. Andr. II, 1, 20 adnotat: „Veteres in nominibus substantivis exeuntibus in *ius* et *ium* semper genitivos casus *i* simplici efferebant, nunquam *auxilli*, *consilli*, sed *auxili*, *consili*. Ego vero a puero diu credidi, ut didiceram, huiusmodi genitivos per contractionem fieri, et idcirco tali apice signatos vidi, *imper*i**, *consili*. Postea suspicio mihi incidit rem aliter se habuisse. Diutina autem observatione facta de plano affirmare ausim neminem ex veteribus duplicem *i* in genitivis illis usurpasse: non Virgilium, non Horatium, non priorum poetarum quemquam, ne semel quidem; si quid aliter nunc feratur, mendosum esse. — Primus ex poetis, qui hodie extant, Propertius bis vel ter, Ovidius saepissime, et post eum alii omnes geminum *i* usurpant. Sub Augusti scilicet senescentis aetate mutatio ista facta est. — Quod si in poetis ubique hoc obtinuit, quis dubitet, quin idem obtinuerit in oratione soluta?“ Atque hoc Bentleianum praeceptum plerique viri docti amplexi et in poetis et in scriptoribus edendis secuti sunt, ut Ritschelius in Plauto, Fleckeisenus in Terentio, Kritzius in Sallustio, Madvigius aliique in Cicerone, vel verum esse probare conati sunt, ut Osannus, Anal. crit. p. 172 sq., Suerdsioeus, Vindiciae praecepti Bentleiani de genetivo substantivorum in *ius* et *ium* desinentium. (Rigae et Dorpati 1832.), Reisigius, Haasius, Vorlesungen über lat. Sprachwissenschaft, Leipzig 1839. p. 74 n. 54, alii. Fuerunt tamen qui aut plenioris genetivi formam iam Ennii aetate in vitae communis usum ita introductam esse, ut scriptores elegantioris orationis studiosi veterem formam plerumque retinerent, tamen etiam ad populi consuetudinem deflecterent, cf. Forbiger. ad Lucret. V, 1004, aut longiorem formam veram et principalem fuisse, brevioris nisi ubi metri leges postularent vel verborum compositio atque natura, non usurpatam esse opinarentur, cf. Koenius in Mus. des Rhein. Westph. Schulmaenner-Vereins tom. I fasc. II p. 57—77. Ueber die Genitivform *i* statt *ii* bei den Lateinischen Woertern auf *ius* und *ium*. Atque cum Koenius de poetarum et scriptorum loquendi consuetudine copiosius disputaverit, primum breviter exponam, quibus argumentis veterumque grammaticorum testimoniis opinionem suam defendere conatus sit, deinde ea quae adtulit examinabo et, si fieri possit, refellam, non quo sperem fore, ut rem ad finem perducam omnibusque numeris absolvam, sed ut non nulla adferam, quibus Bentleium hominem divina quadam mente praeditum recte iudicasse intellegi possit.

Ac primum quidem commemorat in poematis Vergilii, quamvis apud eum centum fere substantiva inveniantur, quorum genitivus in *ii* formari possit, tamen breviorum genitivum tantum eorum substantivorum extare, quorum longior forma nisi et linguae et numeri legibus violatis usurpari non possit; inveniri autem revera genitivos in *ii* exeuntes Aen. III, 360. 702. IX, 151. Neque aliter rem se habere apud Horatium, cum genitivos in *i* exeuntes ut contra praecepta grammaticae linguaeque naturam formatos repudiaverit et quantum fieri posset devitaverit neque eis aliter usus sit nisi metri legibus coactus.

Deinceps ait genitivos in *ii* exeuntes inveniri apud Ennium *pretii* (Cicer. Cat. m. I, 1), *Tarquini* (Serv. ad Vergil. Aen. VI, 219), *Brundusii* (Appul. de magia. Ed. Bipont. vol. II p. 43), et apud Lucretium *navigii* V, 1004, *remigii* VI, 744.

Gravissimum vero testimonium, quo maxime refelli praeceptum Bentleianum existimat, repperisse sibi visus est Koenius apud Lucilium, cuius verba a Charisio p. 60 P. servata ita scribit:

— servandi numeri et versus faciendi,

Nos Caeli, Numeri, numerum ut servemus modumque.

— — — porro hoc si filius Luci

— ferit collum ut Corneli Cornificique.

Qui Lucilii locus quamvis sit mancus, id tamen esse certum eum genitivos in *ii* exeuntes formasse eamque formam pro vera habuisse, breviorum autem, ubi metri leges postularent, usum esse idque probari et verbis Charisii I. c. „Nunquam hoc intulisset, nisi et Caelii et Numerii per *ii* huius Numerii faciendum crederet“, et Caes. Vindicis p. 2318 P. „Si Lucius Magnius Magius proferantur, duo *i* in genetivo habebunt, ut Lucii Magnii Magii, quod ipsum Lucilius adnotavit, cum a numero Numerius discerneret.“

Neque aliter de genitivi forma sensisse M. Terentium Varronem, cum apud Charis. legantur haec: „Lucius Aemilius et cetera nomina, quae ante *u* habent *i*, duplici *i* genitivos singulares finire debent, ne necesse sit adversus observationem nominativo minorem fieri genitivum, idque Varro tradens“ etc.; genitivum enim a Varrone tamquam propaginem nominativi haberi neque breviorum eo esse posse. Neque vero Varronem alio loco (I. I. p. 419 Sp.) dicentem: „Dissimile Plautus et Plautius et communia huius Plauti et Marci Plauti“ sibi ipsum repugnare, quoniam dubitari nequeat, quin forma genitivi *Plauti* pro *Plautii* poetas tantum usos esse crediderit, ipse autem in suis libris pleniorum alteri praetulerit et ubique scripserit; idemque cadere in Sallustium, in cuius libris ubi Kritzius breviorum formam scripsit, longiorum ponendam esse.

Novum quidem argumentum in monumentorum titulis repperit; in quibus cum genitivi substantivorum in *ius* et *tum* desinentium per *i* scribantur, id vero signum pro *ii* positum sit, iam antiquissimis temporibus per *ii* genitivos scriptos esse concludit.

Porro a Bentleio non recte explicatum esse censet Nigidii Figuli testimonium apud A. Gell. XIII, 26, 1 (ed. Hertz. vol. II p. 100.). „Deinde vocalio qui poterit servari, si non sciemus in nominibus, ut Valeri, utrum interrogandi sint an vocandi? Nam interrogandi secunda syllaba superiore tonost quam prima, deinde novissima deicitur; at in casu vocandi summo tonost prima, deinde gradatim descendunt.“ Negat enim Koenius ex his verbis concludi posse Nigidium Figulum, cuius testimonium postponendum sit Lucilii et Varronis testimoniis gravioribus valentioribusque multo, breviorum formam pro vera habuisse, cum nihil aliud nisi poetarum eam praeferebantur consuetudinem respexerit.

Adfert tum ad suam opinionem fulciendam verba Prisciani VII, 4. vol. I p. 299. Kr. „In *us* vero et in *um* desinentia pares (syllabas) habent, ut Priamus Priami, Vergilius Vergilii, templum templi, Taurominium Taurominii. Frequenter tamen invenimus veteres in huiusmodi genetivis i. e. geminantibus *i* subtrahere alterum ex eis. Vergilius in primo Aeneidos: *Hic tamen ille urbem Patavi sedesque locavit*, pro *Patavii*. Idem in Bucolicis: *Nec spes libertatis erat nec cura peculit*, pro *peculit*. In eodem: *Pauperis et tuguri congestum cespitile culmen*, pro *tugurii*. Idem in IV Georgicon: *Florentem ignobilis otii*, pro *otii*. Iuvenalis in quarto: *Antoni gladios potuit contemnere, si sic*, pro *Antonii*. Hoc autem faciunt metri causa. Nunquam enim minores vult habere syllabas genetivus nominativo.“ Ad eandem rem redit Priscianus XII, 5. vol. I p. 552 Kr. „Solent autem auctores etiam per synaeresim unam *i* ponere pro duabus, ut Vergilius in primo: *Et crudelia secum fata Lyci*, pro *Lycii*. et *Ille urbem Patavi*, pro *Patavii*. Iuvenalis in III *Antoni gladios potuit contemnere, si sic*, pro *Antonii*.“ Quod praeceptum non refelli eis, quae ex Plinii mai. dubii sermonis libris leguntur apud Charis. p. 43 Lind. p. 79 Keil. „Plinius quoque dubii sermonis quinto adicit esse quidem rationem per duo *i* scribendi, sed multa iam consuetudine superari“, quippe quae verba de poetarum consuetudine dicendi intellegenda sint, omnemque dubitationem tolli eis censet, quae apud Charis. p. 70 L. p. 122 K. leguntur: „Aurelii genetivus non tantum crescit cum nominativo, sed ut par sit dativo casui, ut Plinius eodem libro scribit.“

Postremo Koenius p. 74 sq. demonstrare vult Bentleium a vero aberrasse, cum tales genetivos per contractionem fieri negaret. Ex omnibus eis concludit formam genetivi in *ii* exeuntem principalem linguaeque legibus convenientem, breviorum per contractionem factam, utramque autem ex antiquissimis temporibus usque ad Augusti aetatem ita usurpatam esse, ut poetae breviorum nusquam uterentur, nisi ubi compositio verborum et leges metri postulerent.

Quoniam igitur argumenta a Koenio proposita enarravimus, primum videamus, ubi antiquiores poetae genetivi breviorum forma usi sint, deinde veterum grammaticorum testimonia ceteraque ab eo proposita argumenta examinemus, ut quibus finibus genetivi in *i* exeuntis usus contineatur, cognoscamus.

Ac de Plautinis quidem et Terentianis fabulis non dubitandum esse, quin Bentleius verum viderit, et genetivos in *ii* terminatos nihil praesidii habere adfirmat Ritschellius Parergon Plautinor. Terentianorumque vol. I p. 16 et T. Macci Plauti comoed. proleg. p. LXXXIX. Atque in novem Plauti fabulis quas cum adparatu critico edidit hos repperi in *i* exeuntes genetivos.

Trinum. v. 88 negoti. 258 preti. 580. 847. 908. 1001 negoti.

Mil. glor. v. 145 preti. 173. 277. 317. 421 negotist. 425. 441 negoti. 478 consili. 509 flagiti. 558 preti. 599. 886 consili. 921 ingeni. 956 negoti. 1034 fastidi. 1061 preti. 1346 negoti.

Bacch. v. 117 commercist. 183 compendi. 381 flagiti. 415 negotist. 427 gymnasi. 444 preti. 606. 651 consili. 1032 flagiti. 1036 consili. 1182 convivi.

Stich. v. 126 ingeni. 235 preti. 489 subselli. 578. 634 consili. 734 convivi.

Pseudul. v. 11 consili. 61 auxili. 130 negotist. 397 consili. 440 flagiti. 1109 ingeni. 1141 compendi.

Menaechm. v. 115 negoti. 135. praemi. 370. 384 negoti. 432 negotist. 458 negoti. 489

preti. 522. 614 negoti. 615 negotist. 762 negoti. 901 flagiti. 972 preti. 997 negoti. 1018 praemi. 1030 imperist. 1063 negotist.

Mostell. v. 60 compendi. 459. 531 negoti. 688 consili. 742 negoti. [866 consili.] 879 preti. 904. 912 mercimoni. 1017. 1018 negoti. 1165 supplici.

Pers. v. 125 praesidi. 315 negoti. 471 compendi. 625 preti. 714 negoti. 854 supplici.

Mercat. v. 6 Macci. 120. 128. 134. 136 negoti. 346 consili. 417 flagiti. 660 consili. 739 negoti. 784 flagiti. 789 negoti. 825. 967 negotist. 991 supplici. 996 benefici.

In Plauti fabulis a Fleckeiseno editis hi leguntur genetivi

Amphitr. v. 157 auxili. 350 negotist. 502. 580. 825 negoti.

Captiv. v. 471 subselli. 660. 795 negoti. 965 compendi.

Rud. v. 25 supplici. 204. 213 consili. 349 auxili. 559 negotist. 627. 638 negoti. 641 negotist. 665 auxili. praesidi. 683 praesidi. 725 commerci. 733 flagiti. 950 consili. 951. 1058 negotist. 1228 negoti.

Asinar. v. 30 mendaci. 128 preti. 307 compendi. 308 negotist. 358 consili. 407 negoti. 858 preti.

Curcul. v. 14. 62 Aesculapi. 167 preti. 217 Aesculapi. 465 negoti. 601 negotist.

In Terentii fabularum editione Fleckeiseniana genetivi in *i* exeuntes sunt

Andr. prol. v. 2 negoti. 44 benefici. 113 ingeni. 159. 170. 320. 404 consili. 521 negoti. 608 consili. 856 preti. 903 supplici. 953 negoti.

Eun. prol. v. 25 Naevi. 404. 544 negoti. 867 consili.

Heaut. v. 64 preti. 75 oti. 498 negoti. 646 praesidi.

Phorm. v. 293 testimoni. 578 consili. 770 flagiti. 816 negotist.

Hec. Prol. v. 14 Caecili. 588 consilist. 715 consili. 744 preti.

Adelph. v. 300 auxili. 613 consili. 642. 707 negoti. 892 preti.

Certa genetivi in *ii* exeuntis exempla in his Plauti et Terentii fabulis non inveniuntur praeter unum Terent. Eun. v. 519. Rus Súnii equod etc.

Jam de Ennii versibus videamus. Cuius quidem, ut praeceptum Benteianum refellat, tres adfert locos Koenius, in quibus genetivus in *ii* exiens legatur; primum apud Cicer. Cat. m. l, 1

Ecquid erit pretii —

Alterum apud Serv. ad Vergil. Aen. VI, 219

Tarquinius corpus bona femina lavit et unxit.

Tertium ap. Appul. de magia. Ed. Bipont. vol. II p. 43

Brundusii sargus bonus est, hunc magnus si erit, sume,

Apriculum piscem scito primum esse Tarenti.

In primo autem loco quamquam non nulli codd. habent *pretii*, tamen cum alteram lectionem *praemi* tueantur Gud. non nullaeque veteres editiones et *praemi* cum *pretii* facile possit mutari, *praemi* scribendum erit.

Alter vero locus non magni potest esse momenti ad genetivi formam constituendam, cum a Donato ad Terent. Hec. l, 2, 60 ita exhibeatnr:

Exin Tarquinius bona femina lavit et unxit.

quod praefert Weichert. de versib. iniuria suspectis p. 60, et difficile sit diiudicare, utri maior fides habenda sit Servio an Donato; sed si cui illius lectio, cum propius accedat ad verba Vergilii Aen. VI, 219, magis placuerit, genetivus in *ii* terminatus evanescet, si *Tarcuini* reponetur.

Jam de tertio videamus versu. Libri quidem habent *Brundusii* vel *Brundisii*, quem genitivum in *ii* exeuntem retinuerunt Vahlen. Ennian. poes. reliqq. p. 166 et Bergk, qui in Neue Jahrb. f. Phil. tom. 83 et 84 fasc. 9 p. 617—638 (a. 1861) non nullos Ennii locos emendavit. Ad hanc autem genitivi formam removendam legit Wagnerus ad Vergil. Aen. IX, 151 *Brentesi* vel *Brendesi*, cum a Graecis oppidum *Βρενδῆσιον* vel *Βρεντήσιον* vocetur, Suerdsioeus *Brundusio* et apud eum p. 53 J. V. Franckius *Brundisi*. Sed cum *Brundusii* libri habeant, Graeca autem forma neque ab Ennio neque ab ullo alio poeta sit usurpata, *Brundisi* nullo sit exemplo neque *Brundusio* locum, ubi sargus bonus est, significet, non videtur dubium esse, quin *Brundusii* retinendum sit. Ceteris autem in locis Ennius genitivo in *ii* exeunte non usus est.

Annal. lib. I fragm. XIII (Vahlen. p. 5.) Varro de L. L. V, 60. p. 24 M.

terraque ipsa

Quae dedit ipsa capit neque dispendi facit hilum.

Androm. Aechmal. Cicer. Tuscul. disp. III, 19, 44. (Ribbeck. Scenic. Romauor. poes. fragm. vol. I p. 21. Vahlen. p. 103.)

Quid petam praesidi aut exequar? quove nunc

Auxilio aut exili aut fugae fréta sim?

In Lustris. Non. p. 111, 15. (R. p. 28. V. p. 114.)

at ego omnipotens . . .

Téd exposco, ut hoc consilium Achivis auxili fuit.

In Iphig. A. Gell. XIX, 10, 12. (R. p. 33. V. p. 120.)

Otio qui nescit uti, plus negoti habet

Enn. ap. Cicer. Tusc. disp. II, 16, 38. (R. p. 50. V. p. 93.)

Namque Aesculapi liberorum saucii opplent porticus

Id. ap. Cicer. de orat. I, 45, 199. (R. p. 55. V. 112 sq.)

quos ego ope mea

Pro incertis certos compotesque consili

Dimitto —

Id. ap. Cicer. Tusc. disp. IV, 33, 70. (R. p. 58. V. p. 146.)

Flagiti principium est nudare inter civis corpora.

[In Telepho. Censorin. fr. c. 14 p. 95 Jahn. (R. p. 203. V. p. 139.)

Proin demet abs te regimen Argos, dum est potestas consili.]

Non satis constat Ennii versum esse; *consili* conii. Lachmann. *consulendi*. libri.

Epigramm. rel. p. 162 V. Cicer. Tusc. disp. I, 15, 34.

Aspicite, o cives, senis Enni imaginis formam!

Porro Naevius in Lycurgo. Non. p. 73, 17. (R. p. 9.)

Ne ille mei feri ingeni iram atque animi acrem acrimoniam.

Pacuvius in Hermiona. Non. 132, 29. (R. p. 81.)

Lamentas fletus facere compendi licet.

Attius in Aegistho. Non. 111, 1. (R. p. 117.)

. . . neque fera hominum pectora

Fragescunt, donec vim imperi persenserint.

- Id. in Clytemnestra. Non. 226, 8. (R. p. 118.)
Scíbam hanc mihi suprémam lucem et sérviti finém dari.
- Id. in Epigonis. Non. 226, 22. (R. p. 146.)
Ita Imperitus stúpiditate erúmpit se, inpos cónsili.
- Id. in Eurysace. Cicer. pro Sest. 57, 122. (R. p. 155.)
O Ingratifici, Argívi, inmoenes Gráj, inmemores bénefici,
- Id. in Telepho. Non. 13, 22. (R. p. 185.),
Núnc tua in re crépera tu quid cápias consilí, vide.
- Id. ap. Cicer. de nat. deor. III, 38, 90. (R. p. 188.)
Poenís luendis dábitur satias súpplici?
- Caecilius ap. Cicer. Cat. m. VIII, 25. (R. vol. II p. 55.)
Edepól, senectus, sí nil quicquam aliúd viti*)
- Turpilius in Thrasyll. Non. p. 215, 30. (R. II p. 95.)
Cum intérea nil quicquam á me est praemi néque erat tuae beníguitatis
- Titinius in Procil. Non. p. 102, 2. (R. II p. 124.)
quam ego hódie extorrem
Hánc domo faciam, pilatricem pálli iam evalláro pulchre!
palli coní. Ribb.
- Id. in Velitern. Non. p. 495, 13. (R. II p. 132.)
Ómnium vitium húnce expertem, cónsili plénúm praehibui.
- Pompon. in Auctorat. Charis. p. 52 K. (R. II p. 192 sq.)
néque enim ego
Sum Mémmi neque Cassí neque Munati Ébriae.
- Id. in Pappo Agric. Non. p. 503, 8. (R. II p. 203.)
. dómus haec fervit flágití
- Decim. Laber. in Necyomant. Gell. XVI, 7, 12. (R. II p. 246.)
Duás uxores? hércle hoc plus negóti est, quam qui cótio
Séx aediles víderat.
- Luciliani loci omnes ita sunt comparati, ut de iis dubitari nequeat.
- Fr. III, 9. Porphy. ad Horat. sat. I, 6, 106. Saturar. reliqq. ed. Gerlach. p. 10.
Mantica canteri**) costas gravitate premebat.
- Fr. IX, 6. Charis. p. 79 K. Gerl. p. 29.
Pupilli pueri Lucili, hoc unius fiet.
- Fr. IX, 12. Non. p. 428, 7. Gerl. p. 30 sq.
Una θεῖσις sunt annales Enni atque ἔπος unum,***)
- Fr. XI, 6. A. Gell. IV, 17, 2. Gerl. p. 35.
Conicere in versus dictum praeconis volebam
Grani —

*) Caecil. in Plocio. Non. p. 220, 7. (R. II p. 56) cum Spengelio *pauperio* pro *pauperii*, quod habet R., videtur legendum esse.

**) Non *cantari*, ut Gerlach. scribit.

***) Ita emendavit versus Lachmannus in ind. lection. Berol. 1851. p. 4.

In editionibus veteribus legitur *Granit*, codd. habent *Grani* praeter Guelf., in quo est *gravi* ex *Grani* ortum.

Fr. XX, 4. Non. p. 427, 30. Gerl. p. 46.

Calpurni saevam legem Pisonis repreti.

Fr. XXII, 2. Donat. ad Terent. Phorm. II, 1, 57. Martial. XI, 90. Gerl. p. 47.

Luceili columella hic situs Metrophanes.

Fr. XXVI, 56. Non. p. 255, 14. Gerl. p. 52.

Pércrepa pugnám Popilli, fácta Corneli cane.

Gerlachius legit *Pompilli* et in edit. fragm. Lucil. et ap. Non., sed recte animadvertit Lachmannus in Lucret. V, 1006 M. Popillium Laenatem proelio victum esse a Numantinis a. u. 616, Africanum bellum, ad quod versus pertinet, confecisse a. 621. *)

Fr. XXVIII, 2. Non. p. 414, 7. Gerl. p. 59.

Orátionem fácere compendí potes. **)

Fr. XXX, 55. Non. p. 323, 31. Gerl. p. 75.

Ut semel in Caeli pugnas te invadere vidi.

Ex inc. libr. fr. 3 Cicer. de finib. I, 3, 8. Gerl. p. 80 apud Dousam ita legebatur:

Graecum te, Albuti, quam Romanum atque Sabinum

Municipem Ponti, *Titii*, Anni, centurionum,

Praeclarorum hominum ac primorum signiferumque

Maluisti dici —

Ad hoc fr. Dousa p. 99 adnotat: „Municipem Ponti, Titii, Anni.] Confuse antea legebatur *Tritanni* pro *Titi*, *Anni*, quod monstrum nominis a finibus Romani imperii in extremos barbaros amandandum primus monuit clarissimus I. Lipsius Antiq. Lect. lib. V cap. 11. nam Pontius, Titius, Annius gentilia et nota Romanis nomina.“ Sed tenenda est lectio *Tritanni*, cum sit revera nomen Romanum, quod ex Varrone commemorat Plin. H. N. VII, 19, quamquam centurionem *Tritannum* non novimus. Ergo ne hoc quidem in loco genetivus in *ii* desinens legitur.

In fragmento 6 Fest. p. 294 M. Gerl. p. 81 a Lachmanno in ind. lection. univ. Berol. 1848 p. 6 ingeniose emendato legitur genetivus *oti*.

Fr. 17 Donat. ad Ter. Eun. II, 3, 44. Gerl. p. 84.

Ante fores autem et triclini limina quidam

Perditus Tiresias tussi grandaeus gemebat.

Fr. 46 Fest. p. 363 M. Gerl. p. 88.

Tapullam rident legem congerrae Opimi.

*) In eiusd. libri fragmento 35 (Gerl. p. 51) apud Dousam et in libris ante Mercerum editis genetivus in *ii* desinens *gaudii* legebatur,

Non idcirco extollitur vel irae vel gaudii datur.

sed iam Dousa Lucil. reliqq. Lugd. Bat. 1593 p. 67 in margine habebat: „al. *nec vitae vegrandi datur*, quae lectio ex vetere cod. haud dubie desumpta Nonii editionibus Merceri et Rothii firmatur, quamquam uterque de eius origine tacet.

**) Fr. XXVIII, 28 Non. p. 31, 29. Gerl. p. 61, ubi is *Lucili* legit, huc referre nolui, cum neque de verborum sententia satis constet et in edit. Antverp. a. 1565 et Paris. a. 1583 *Lucillius* legatur. Neque fr. XXIX, 10 Non. p. 330, 24 Gerl. p. 65, ubi in edit. Gerlach. *Tulli* legitur, huc referendum esse censeo, cum corruptum sit neque satis constet, utrum nomen proprium legendum sit an forma verbi *ferendi*. Item omisi genetivum *Caecili* fr. 135 ex inc. libr. Non. p. 205, 29 Gerl. p. 96, cum de eo non satis constet.

Cf. Schmidt. Lucil. satirar. quae de libro nono supers. Progr. Gymnas. Frid. Werd. Berol. 1840 p. 4. Duentzerus ap. Gerlach. p. 150 legit *convivia Opimi*.

Fr. 61 Porphy. ad Horat. Od. I, 27. Gerl. p. 89.

ludicis Hortensi est ad eam rem nata palaestra.

Fr. 116 Donat. ad Terent. Hecyr. III, 4, 26. Gerl. p. 94.

— Myconi calva omnis iuventus.

Fr. 132 A. Gell. II, 24, 10. Gerl. p. 95.

Legem vitemus Licini —

Fr. 133 A. Gell. II, 24, 4. Gerl. p. 95.

— Fanni centussis misellus

Lex a Fannio ad coercendam Romanorum luxuriam lata centussis h. l. nominatur, quod non plus centenos aeris quibusdam diebus consumi concessit.

Fr. 178 Varron. de L. L. VII, 30 p. 131 M. Gerl. p. 100.

Quid tibi ego ambages Ambivi scribere coner?

Quoniam igitur omnes Lucilii versus, in quibus genetivi in *i* exeuntes leguntur, adtulimus eumque his in locis genetivum non aliter nisi in *i* formasse vidimus, iam de Charisii loco, quo Koenius ad praeceptum Bentleyanum refellendum usus est, videamus. Charisii autem verba Henr. Keilius p. 78 sq. ita emendavit: „*Lucius et Aemilius et cetera* nomina quae ante u habent *i* duplici *i* genetivo singulari finiri debent, ne necesse sit adversus observationem *nominum* nominativo minorem fieri genetivum; idque Varro tradens adicit *vocativum* quoque singularem talium nominum per duplex *i* scribi debere, *sed propter differentiam* casuum corrumpi. *Lucilius tamen et per unum i* genetivum scribi posse existimat. ait enim

servandi Numeri, numerum ut servemus modumque.

numquam enim hoc intulisset, nisi et Numerium, huius *Numeri*, faciendum crederet. Denique et in libro VIII sic ait,

*porro hoc, filius Luci,
feceris i solum*), ut Corneli Cornificique,*

et paulo post

pupilli pueri Lucili, hoc unius fiet.

et Plinius quoque dubii sermonis V adicit *esse quidem* rationem per duo *i* scribendi, sed multa iam consuetudine superari.“**) Quae Charisii verba quamquam suspicionem movent Luciliique locus mancus est, tamen id ex eo sequitur, poetam dixisse a se genetivum *Numeri* in *i*, non in *ii* formatum esse, ut numerus versusque legesque prosodiae servarentur, cum genetivus *Numeri* versus dactylico adaptari nequeat. Cum autem Charisius h. l. commemoraverit Lucilium genetivum *per unum i scribi posse* existimavisse, fieri non posset, quin, si illa verba ex eius satiris sola essent servata, eum tantum propter metri prosodiaeque leges genetivis in *i* exeuntibus usum esse iudicarem, ut Caes. Vindex p. 2318 P. et cum eo Koenius, qui reliquorum fragmentorum non habebat rationem, revera statuerunt. At res aliter

*) Ex con. Schmidtii l. c. p. 21.

**) Lachmann. in Lucret. V, 1006 haec adnotat: Lucilii versum ad hunc fere modum cum cetera oratione coniunctum fuisse suspicor, „[mement.] *Servandi Numeri,*“ *numerum et servemus modumque, [Dicimur]: quod si alio pacto nomen paterentur Versus, dixissem „servandum tute memento.“*“]

se habet; Lucilius enim, qui satirarum libro nono res ad grammaticam pertinentes tractavit, in verborum formis ducendis et explicandis ad earum originem ita videtur rediisse, ut non tam sermonis consuetudinem quam leges vocum formarumque constituendarum et comparatione inventas et mente excogitatas sequeretur, quamquam ipse in satiris has leges non observabat, sed formis vulgaribus utebatur. Quamvis enim Lucilius ob grammaticae rationes arbitraretur ad substantiva in *ius* et *ium* desinentia genetivum in *ii* desinentem pertinere, cum unum *i* nomini esset tribuendum, alterum genetivi formae significandae inserviret, tamen idem in carminibus, cum formas vulgares usurpare non dubitaret, genetivis in *ii* exeuntibus nusquam utebatur. Quam ob rem si Charisii verba recte emendata sunt, distinguendum erit, et quid Lucilius censuerit, qui grammaticae formas earumque originem et significationem examinaret, et quid sermonis consuetudo vulgaris postulaverit, quam idem in satiris sequebatur constanterque observabat. Ait igitur versuum numerum et prosodiae leges se servare et genetivum in *i* formare, cum multa substantiva, nisi ita flectantur, in versibus dactylicis usurpari non possint; se igitur sermonis consuetudinem sequi velle, quamvis duplici *i* utendum sit, si sola formae origo respiciatur. Jam si eiusdem hominis grammaticas rationes a poeticis distinxeris, ut revera grammaticus a poeta est distinguendus, id quod exemplis potest probari, concedendum quoque erit, ut opinor, eum genetivos in *i* formasse eaque forma in satiris usum esse, quamquam neque ignorabat neque negaverat veram esse alteram formam, quae eadem usu est recepta, postquam Romani grammaticae studiis maiorem operam tribuerunt. Recte igitur ait Haasius not. 54 ad Reisig. lectt. grammat. Latin. „Dass die Römer *i* sprachen, auch nach Augustus, ist keinem Zweifel unterworfen; dass sie *ii* zu schreiben und in Folge dessen auch zu sprechen anfangen, war gewiss nicht eine unbewusste, sich von selbst bildende Neuerung, bei der auch die Orthographie erst nach der Aussprache geändert sein würde, sondern es geschah durch den Einfluss ihrer grammatischen Studien, der um so leichter durchdrang, je bedeutendere Männer dabei mitwirkten, wie z. B. Caesar; ob dieser, der sonst allerdings die Declinationen nach Principien zu regeln bemüht war, auch schon an *ii* gedacht hat, wissen wir nicht.“ Ni fallor, iam Lucilius in numero eorum erat, qui certa praecepta et leges in formis ducendis sequendas esse contenderent.

Jam vero cum Charisii verba Koenius ita legerit, ut in editione Putschiana scripta sunt, non recte dicit p. 66 sq. „Diesem Zeugnisse des Charisius müssen wir um so mehr Glauben schenken, als er das vollständige Werk des Lucilius vor sich hatte. Dazu kommt noch der bedeutende Umstand, dass, wie Charisius, so auch Caes. Vindex (p. 2318 P.) aus den Worten des Lucilius schloss, indem er sagt: Si Lucius Magnius Magius proferantur, duo *i* in genetivo habebunt, ut Lucii Magnii Magii: quod ipsum Lucilius adnotavit, cum a numero Numerius discerneret.“ Nam apud Charisium non legimus Lucilium genetivi forma in *ii* exeunte ubique usum esse, immo addit genetivos *Luci Corneli Cornifici* scribendos esse, non *Lucii Corneli Cornificii*. Tum apparet Caes. Vindicem Lucilii verba, quae Beda p. 2373 P. in contrariam partem rectius accepit, falso intellexisse, cum Lucilius, quamvis longiorem genetivi formam grammaticae legibus respondere censeret, tamen in satiris altera forma utpote vulgari atque sermonis consuetudine sancita usus sit, longiorem semper repudiaverit.

Accedit porro ad brevioris genetivi formam defendendam testimonium Varronis de L. L. VIII § 36 p. 180 M. „Dissimile Plautus et Plautius, et commune Luci Plauti et Marci

[Macci] Plauti“*). Koenius quidem haec ita explicat p. 67. „Es unterliegt keinem Zweifel, dass Varro Plauti für Plautii als eine besondere oder poetische Form neben Plauti von Plautus gestellt habe. Dass er aber ienes *ii* für die Prosa vorzog und selbst so geschrieben habe, darüber bleibt auch nach den handschriftlichen Zeugnissen über sein Werk de L. L. kein Zweifel.“ Sed parum recte dicit Varronem genitivum Plauti pro forma a poetis usitata habuisse, cum in eis quae antecedunt ne verbo quidem ab oratione numeris astricta solutam discrimina verit, neque probari possunt, quae de librorum ms. testimoniis iudicat; quamquam enim negari non potest multis in locis *ii* inveniri, non nullis *i* et *ii*, tamen ex eo concludi non potest Varronem longiore genitivi forma semper usum esse; immo vero quia codices inter *i* et *ii* interdum variant, dicendum est formam in *i* exeuntem apud Varronem veram, alteram in *ii* exeuntem a librariis, qui formas constantes restituendas, repugnantem corrigendas esse opinarentur, intrusam esse, quamquam Muellerus in edit. libror. Varronis de L. L. constantem scribendi rationem non est secutus; cf. eius praef. p. XXXVII sq. „Patrici casus contractae formae in I exempla quaedam posui ad inscriptionem quinti libri, et reperiuntur plura, maxime in propriis nominibus (ut *Tati* V, 74. *Meli* V, 157. *Tarquini* V, 159. *Mamuri* VI, 45. *Enni* VII, 12. 19 et saepius. *Cassi* VII, 21. *Papini* VII, 28. *Corneli* VII, 39. *Acci* VII, 65. *Terenti* VIII, 14; rarius in huiusmodi vocabulis: *pomeri* V, 143. *convivi* V, 168): nihilominus cum Varronem ipsum hanc contrahendi consuetudinem reprehendisse sciamus, ubi in libris omnibus erat *Virgilli*, *Enni*, *Cassii* (ut VI, 7. VII, 39. 82), hoc non mutare debebam.“ Respicit autem Muellerus ea, quae Charisius p. 78 ed. Keil. Varrone duce commemoravit; quamquam autem Charisio auctore Varro tradidisse dicitur nomina quae ante *u* habent *i* duplici *i* genetivo singulari finire debere, ne necesse esset nominativo minorem fieri genitivum, tamen ea non ita sunt interpretanda, ut Varro ubique genitivos in *ii* exeuntes scripsisse dicatur; ut enim non est dubium, quin Lucilius, quamquam in ducendis formis consuetudinem vulgarem sequi volebat syllabasque casum significantes vocum stirpibus addendas esse censebat, in satiris consuetudinem vulgarem semper observaverit, ita Varro quoque in formis constituendis certa praecepta proposuit, quamquam in eis quae scribebat consuetudinem sermonis sequi poterat. Accedit, quod Varronis praeceptum ita interpretari eis iubemur, quae de vocativo eum docuisse Charisius l. c. narrat.

In satirarum autem Varronianarum reliquiis tantum genitivi in *i* exeuntes inveniuntur. Agathon. fr. 4 p. 90 sq. edit. Oehler. Non. p. 187, 10.

Amát nec spes est aúxili argentária.

Eumenid. fr. 22 p. 120 Oehl. Non. 201, 25.

Quid dubitatis, utrum nunc sitis cercopitheci,

An colubrae, an beluae, an de Albuci**) subus Athenis?

*) Ad h. l. Muellerus adnotat: „Luci] con. ut *huius* codd. unde interpolatores etiam postea *huius Plauti* posuerunt. Mihi L. Plautius rhetor, de quo v. Weichert. Poet. Lat. p. 218, cum M. Plauto poeta componi videbatur. Neque tamen repugno, si quis etiam hunc locum ad Plautium poetam, cuius fabulas Plantinis immixtas esse Varró ap. Gell. III, 3, 10 docet, pertinere arbitretur.“ Lachmannus in Lucret. V, 1006 ad h. l. emendandum ita scribit: „*Dissimilia* (Florentinus *dissimile*) *Plautus et Plautius, et commune M.* (Flor. ut) *huius Plauti et Macci* (Flor. *marci*); nisi quod *hunc Plautium* (sic enim iterum dicitur rerum rusticarum II, 5, 5) exempli causa *M.* feci, cuius verum praenomen ignoro: sed paullo post, p. 424 (M. p. 182), ubi perspicuum est scribendum esse *nunc ponam potissimum eam* (Flor. *iam*) *qua dividitur oratio secundum naturam in quattuor partis*, ibi in Florentino est *secunda ut naturam, ut pro m.*“

**) Ex con. Rothii p. 137 ed. Non.

Eiusd. sat. fr. 33 p. 120 sq. Oehl. Non. p. 392, 3.

Ex sese ipse aliquid quaerat cogatque peculi.

Pap. pap. fr. 9 p. 181 Oehl. Non. p. 281, 29.

Dominum convivi, vinum, aliudve quid mi [ni] laudato —

Quorum verborum de numero quamquam certi quicquam statui non potest, tamen id certum est ea numero non carere; quam ob rem sive is est iambicus sive trochaicus, genitivus *convivii*, qui est in libris, legi nequit.

Eadem quae de Varrone disputavimus, cadunt in Sallustii scripta, in quibus numerus quidem genitivorum in *ii* exeuntium maior est, si codices spectamus, tamen haud paucis locis genitivi in *i* exeuntes inveniuntur.

Apud Lucretium leguntur genitivi in *i* exeuntes I, 11. 42. 313. II, 1127. VI, 1226. Duobus autem in locis Forbigerus, Koenius, alii genitivos in *ii* desinentes V, 1006

Improba navigii ratio tum caeca iacebat.

et VI, 743

Remigii oblitae pennarum vela remittunt.

legerunt; sed cum prior versus sententiarum nexum perturbet neque quid *improba navigii ratio* significet, intellegi possit, cum Suerdsioe l. c. p. 39 et Lachmanno in Lucret. V, 1004 pro spurio habendus est. In altero autem versu non *remigii oblitae*, quod ex coniectura ortum est, sed cum Lachmanno *remigi oblitae* rescribendum est; libri enim habent *remigio*, ubi littera *o* ex sequente voce adhaesit.

Sequitur ut de monumentorum titulis videamus. In quibus cum genitivi per I scribantur, hoc autem signum pro *ii* positum sit, iam antiquissimis temporibus genitivos per *ii* scriptos esse concludit Koenius. Quamquam verum est I pro *ii* a sculptoribus incisum esse, tamen non sequitur duplicem *i* vocalem esse pronuntiatam. Distinguendum est enim inter pronuntiationem et scripturam; signum I ponebatur pro duplici *i*, sed unum tantum audiebatur, vel quod fere idem est, aut unum *i* ex duobus contractum, aut *i* longum esse significabatur. Haud raro autem in inscriptionibus unum *i* per I et duplex *i* per *ii* exhibetur.

Venio nunc ad Vergilii versus.*) Inveniuntur autem apud eum genitivi in *ii* desinentes Aen. III, 702

Hinc altas cautes proiectaque saxa Pachyni
Radimus, et fatis numquam concessa moveri
Adparet Camarina procul campique Geloi
Inmanisque Gela fluvii cognomine dicta.

et IX, 151

Tenebras et inertia furta

Palladii caesis summae custodibus arcis
Ne timeant —

Priorem versum pro integro habuit Wagnerus in ed. Vergil. a 1830 tom. II p. 552 et coniecturam Martini (Diar. schol. Darmstad. 1826 No. 43) *a fluvio* improbavit; sed de altero versu disputans tom. II p. 332 sq. sententia subito mutata addit: „Sed oblata hac occasione

*) Vergil. Aen. III, 360 *Clarii* genitivus adjectivi est.

redeundum est ad Aen. III, 702, ubi miror quomodo factum sit, ut silentio praeterierim formam voc. *fluvii*. Aut scribendum ibi *a fluvio*, quod suadet Martinus, aut rescindendus est, ut potius reor, versus illepidus.“ At Ladewigius in edit. a. 1855 eum retinuit, neque cur versus, qui in omnibus libris legitur, illepidus sit, liquet. Quamquam sane duo sunt, quae minus placere videantur, adiectivum *inmanis* et nominis *Gela* explicatio, tamen de versus integritate dubitari nequit; nam fluvius vocatur *inmanis*, quod, ut ab Ovidio fast. IV, 470 *Et te, vorticibus non adeunde Gela* docemur, vorticibus abundabat; explicatio autem nominis ad orationem exornandam addita est, id quod poetarum exemplis potest probari.

Atque de altero Aeneidos versu, quem Wagnerus Vergilio indignum esse iudicavit, haec fere adnotat: „Eieci versiculum plane insulsum; qui enim Palladium furari poterat Turnus idque ex arce? Recte Brunckius: *In castris Troianorum nec arx erat summa* nec Palladium*.“ Altera causa, cur versus delendum esse viri docti censuerint, posita est in genetivi *Palladii* forma; tertia inde repetitur, quod idem versus uno verbo mutato II, 166 scribitur,

Palladium, caesis summae custodibus arcis

Argumentum ex genetivi forma petitum nunc omittamus, quoniam si versus integrum esse demonstrari possit, plane evanescit. Recte quidem Wagnerus fieri potuisse negat, ut Palladium, quod non adesset, Turnus furaretur; sed animo non satis attento hunc et sequentes versus et ipse et alii legerunt, qui si verborum nexum et sententiam rectius perspexissent, versus haud dubie defensori fuissent. Turnus enim rex Rutulorum aggressurus est Troianorum classem, sed (v. 112 sq.)

vox horrenda per auras

Excidit et Troum Rutulorumque agmina complet;

Neve armate manus, maria ante exurere Turno

Quam sacras dabitur pinus.

Qua divina voce perterriti Rutuli obstupuerunt, Turnus autem rex animum non demittit, sed suos adhortatur, ne Troianos timeant; se eos victurum neque aut armis Vulcani i. e. armis Achillis a Thetide adlatis aut Graecorum mille navibus ad Troianos expellendos opus esse, neque Troianis timendum esse, ne Palladium eripiatur et ipse ut Graeci in equi alvo conditi dolisque et malis artibus usi pugnaturus sit; se palam, non noctu ut Graecos, proelium commissurum esse. Quae si quis subtiliter perpenderit, de Palladio et, id quod Wagnerus plane omisit, de equo cavo virisque armatis repleto neque sermonem esse et Turnum se equo usurum Palladiumque furaturum esse negare concedet; sed ratio artesque, quibus usi Graeci Troiam expugnaverunt, cum certamine Turni fraude et dolo se usurum esse negantis comparantur. Accedit, quod versu 151 eiecto verba *inertia furta* vix intellegi possunt, cum nesciamus, quid haec sibi velint quidque poeta significaverit; optime autem omnia procedunt v. 151 addito. Neque silentio praetereundum est Graecos Troiam obsidentes et fraude expugnantes a Turno illudi, quod fraude (*inertibus furtis*, i. e. Palladio ablato, in quo Troianorum salus erat posita), non fortitudine Troiam expugnaverint. Restat, ut quid tertium valeat argumentum, videamus. Freinshemius quidem ad Curt. IV, 13, 8 versus ab alio adsutum esse opinatur, quod ex libr. II, 166 repetitus sit; sed versus 151 libri IX non ad verbum descriptus est, cum hic *Palladii*, illic *Palladium* legatur, quamvis concedamus id discrimen non magni esse momenti; qui vero secum reputaverit, quotiens apud veteres poetas factum sit, ut aliorum sententias verbis paullulum mutatis in sua reciperent aut versus plenos ad verbum describerent, is concedet, opiror, poetis multo magis licuisse sua ipsorum verba occasione data repetere;

neque enim veteres omnia tam religiose ex suo ipsorum ingenio atque natura petebant et depromebant, ut quae quis cogitatione sapienter assecutus esset verbisque recte expressisset, ea ceteri suo loco imitari vel recipere dubitarent. *) Quibus expositis Wagnerum aliosque viros doctos versum Aeneidos, quem codd. tuentur, immerito suspectum habuisse nostro iure contendere videmur. Itaque genitivus *Palladii*, cum in *ii* exeat, caussa esse nequit, cur versus eiciatur, sed Vergilius h. l. genitivi in *ii* exeuntis formam admisisse dicendus erit.

Quaerentibus igitur nobis, quibus finibus genitivi in *i* exeuntis usus apud poetas qui erant ante Augusti aetatem contineatur, illud constat apud poetas scenicos et Lucilium satiricum certum genitivi in *i* exeuntis exemplum non extare praeter Terent. Eun. v. 519 *Suntii*, Lucretium semper, M. Terentium Varronem in versibus certe *i* scripsisse. Genitivus autem *Suntii* eo excusatur quod est Graecum nomen proprium, in quo Terentius nihil mutandum esse censebat. Qui autem supersunt tres versus, unus Ennii, duo Vergilii, ei inde excusationem videntur habere, quod in carminibus metro dactylico conscriptis poetis facilius licebat ab usu communi recedere quam in poesi scenica, in qua consuetudo loquendi vulgaris erat retinenda.

Et quoniam vidimus, quibus finibus usus genitivi in *i* desinentis contineretur, restat, ut quo iure Bentleius eum per contractionem fieri negaverit, quaeramus. De qua re nunc non potest esse ulla dubitatio, postquam Ritschelius in quaestione epigraphica de declinatione quadam latina reconditiore Bonnae 1861 argumentis tam firmis, ut confutare haud facile queas, demonstravit genitivum *fili Clodi* non esse contractum ex formis trisyllabis. Docet enim vir praestantissimus fuisse aliquando aetatem, qua substantiva et adiectiva non in *ius*, sed in *is* vel *es* potius exirent, *Corneles files volgares egreges*; subsecutam esse alteram aetatem, qua terminationes *ios ius* pro forma antiquiore substituerentur in adiectivis, non item in substantivis, ut ab illis discernerentur, *volgarios egregios Cornelis filis*; ex ea autem aetate substantivorum genitivum et vocativum *Corneli fili* dempta littera *s* finali originem traxisse; genitivum igitur in *i* desinentem non per contractionem fieri, sed hanc formam a priscae latinitatis declinatione esse ducendam.

*) G. Macroh. Saturn. VI, 1 sq.

Schulnachrichten.

I.

Lehrverfassung des Gymnasiums.

Prima.

Ordinarius: Der Director. Cursus zweijährig.

Religion. 2 St. Das Evangelium Johannis im Grundtext. S.; Ueberblick über die christliche Lehre im Zusammenhang. W. Der Director.

Deutsch. 3 St. Litteraturgeschichte bis zum Jahre 1500 nebst Mittheilung von Proben. Uebungen im freien Vortrag, wozu der Stoff aus der Geschichte und der deutschen Lectüre bestimmt wurde. Correctur von 10 Aufsätzen. Prof. Dr. Petermann.

Lateinisch. 8 St. Tac. Ann. I. II. u. III. Cic. de Off. I. u. II. theils statarisch, theils cursorisch. 3 St. Hor. Carm. II. u. III. Serm. I. 2 St. Wöchentliche Exercitien und Extemporalien oder kleine Aufsätze und metrische Uebungen (im Ganzen 44); ausserdem 8 freie Arbeiten. 3 St. Der Director.

Griechisch. 6 St. Hom. II. VII—XII, XIX—XXIV privatim. 1 St. Der Director. Oed. R. im S., Oed. Colon. im W. 2 St. Thucyd lib. VI u. VII. mit Ausnahme der längeren Reden und der die Verhältnisse in Griechenland betreffenden Stellen. 2 St. Exercitien (14tägig) und Extemporalien nach Dictaten zur Befestigung in der Syntax. 1 St. Oberlehrer Dr. Grautoff.

Hebräisch. 2 St. 1 Sam. I—XI. Ps. XCIV—CV; cursorisch 1 Sam. X—XIII. Wiederholung der Formenlehre und das Wichtigste aus der Syntax. Exercitien und Analysen. Oberlehrer Beissert.

Französisch. 2 St. Guizot's Discours sur l'histoire de la Révolution d'Angleterre im S.; Paganel's Hist. de Frédéric le Grand livr. I. u. II. im W. Exercitien u. Extemporalien (24) zur Einübung der Syntax. Der Director.

Geschichte und Geographie. 3 St. Geschichte des Mittelalters nach Dietsch mit besonderer Berücksichtigung der geographischen Verhältnisse Europas. Repetition der alten Geschichte. Prof. Dr. Petermann.

Mathematik. 4 St. Repetition der ganzen Arithmetik, Planimetrie und Trigonometrie; Algebra im S.; Stereometrie. Arithmetische Reihen höherer Ordnung, Combinationslehre, binomischer Satz im W. Häusliche Arbeiten und Extemporalien.
Physik. 2 St. Magnetismus und Electricität im S.; Mechanik im W. Oberlehrer Dr. Simon.

Ober-Secunda.

Ordinarius: Professor Dr. Petermann. Cursus jährig.

Religion. 2 St. Bibelkunde des A. T. und Geschichte des Reiches Gottes im alten Bunde. Lectüre der Sonntagsevangelien, später der Episteln nach dem Grundtexte. Wiederholung früher gelernter Lieder. Der Director.
Deutsch. 2 St. Von den Tropen und Figuren. Uebungen im Disponiren und im mündlichen Vortrag. Lectüre und Erklärung von Schiller'schen Gedichten, von Wilhelm Tell und Wallensteins Tod. Correctur von 10 Aufsätzen. Der Ordinarius.
Lateinisch. 10 St. Virgil Aen. VI. VII. und Anfang von VIII. mit einigen Auslassungen. 2 St. Obl. Dr. Grautoff. Liv. XXII. und Cicero pro Milone; einzelne Abschnitte wurden memorirt. Privatim Liv. XXIII—XXV. 4 St. Wöchentliche Exercitien, 6 freie Aufsätze, Extemporalien und mündliches Uebersetzen aus Seyffert's Uebungsbuch. Synt. orn. nach Zumpt. 3 St. Metrik verbunden mit schriftlichen Uebungen. 1 St. Der Ordinarius.
Griechisch. 6 St. Hom. Od. XIII—XX, zum Theil privatim. II. I. u. II. Einzelne Stellen wurden memorirt. 3 St. Der Ordinarius. Xen. Cyrop. I. u. II. 2 St. Moduslehre; Exercitien (14tägig), Extemporalien und mündliches Uebersetzen nach Böhme's Aufgaben. 1 St. Obl. Dr. Grautoff.
Hebräisch. 2 St. Die Formenlehre nach Gesenius bis zu den Verb. irr. incl. Wöchentlich eine schriftliche Uebung. Vocabeln nach Schicks Uebungsbuch. Gelesen und angeeignet wurde Gen. III u. IV. Obl. Beissert.
Französisch. 2 St. Barthélémys Voyage du jeune Anach. livr. XVI—XXVII. Syntax nach Knebel §. 93—122. Exercitien (14tägig). Extemporalien und mündliche Uebungen im Uebersetzen nach Höchsten und Plötz. Collaborator Dr. Meves.
Geschichte und Geographie. 3 St. Geschichte der orientalischen Reiche und Griechenlands nach Dietsch mit Berücksichtigung der geographischen Verhältnisse. Wiederholung der deutschen und preussischen Geschichte seit 1500. Der Ordinarius.
Mathematik. 4 St. Berechnung des Kreises. Elemente der Trigonometrie; Potenzen, Logarithmen im S. Gleichungen ersten und zweiten Grades, Logarithmen, Reihen; Geometrische Uebungsaufgaben und Repetitionen im W. Häusliche Arbeiten und Extemporalien.
Physik. 1 St. Tropfbar-flüssige und luftförmige Körper. Obl. Dr. Simon.

Unter-Secunda.

Ordinarius: Oberlehrer Schultz. Cursus jährig.

Religion. 2 St. Combinirt mit Ober-Secunda.
Deutsch. 2 St. Das Wichtigste aus der Poetik. Lectüre und Erklärung lyrischer Gedichte der classischen Dichter. Correctur von 11 Aufsätzen. Der Ordinarius.

- Lateinisch. 10 St. Liv. II, 1—25. Cic. Cato major. Privatum Liv. VII—VIII. 4 St. Ovid. Fast. I. II. III. mit Auswahl. 2 St. Wöchentlich ein Exercitium; Extemporalien und mündliches Uebersetzen aus Seyffert's Uebungsbuch. 3 St. Metrik verbunden mit schriftlichen Uebungen. 1 St. Der Ordinarius.
- Griechisch. 6 St. Hom. Odys. III—VIII. 3 St. Xen. Memorab. II. u. III., 1—5. 2 St. Casuslehre. Exercitien (14tägig) aus Böhme's Aufgaben und Extemporalien. Obl. Beissert.
- Hebräisch. 2 St. Combinirt mit Ober-Secunda.
- Französisch. 2 St. Barthélémys Voyage. livr. XI—XXI. Syntax nach Knebel §. 69—92. Exercitien (14tägig), Extemporalien und mündliches Uebersetzen nach Höchsten. Gymnasial-Lehrer Scholtz.
- Geschichte und Geographie. 3 St. Geschichte der orientalischen Reiche und Griechenlands nach Dietsch mit Berücksichtigung der geographischen Verhältnisse. Wiederholung der deutschen Geschichte bis 1500. Der Ordinarius.
- Mathematik. 4 St. Lehre von den Potenzen und Wurzeln, Reihen; Geometrische Repetitionen und Aufgaben im S. Inhalts-Berechnung der ebenen Figuren, Aehnlichkeit derselben; Proportionen, Gleichungen, Potenzen im W. Häusliche Arbeiten und Extemporalien.
- Physik. 1 St. Tropfbar-flüssige und luftförmige Körper. Oberlehrer Dr. Simon.

Ober-Tertia.

Ordinarius: Oberlehrer Stridde. Cursus jährig.

- Religion. 2 St. Im S. ausführliche Erklärung des zweiten Hauptstückes, kürzere der drei letzten. Im W. Geschichte der Reformation und die wichtigsten Scheidelehren. Memorirt wurden 6 Kirchenlieder. Der Ordinarius.
- Deutsch. 2 St. Lectüre und Erklärung ausgewählter Gedichte, besonders Schiller'scher Balladen, und prosaischer Aufsätze aus dem Lesebuch. Uebungen im mündlichen Vortrag und Aufsätze (drei wöchentlich). Der Ordinarius.
- Lateinisch. 10 St. Ovid Metam. IV. V. nach Siebelis Auswahl; einzelne Stellen wurden memorirt. 2 St. Caes. de bell. gall. IV—VII und de bell. civ. I. 4 St. Wiederholung der Formenlehre und der Casuslehre; die Syntax des Verbums nach Spiess. Exercitien (wöchentlich) und Extemporalien. 3 St. Die prosodischen Regeln und metrische Uebungen 1 St. Der Ordinarius.
- Griechisch. 6 St. Hom. Odys. I u. II.; mehreres wurde memorirt. Im S. Obl. Schultz, im W. der Director. Xen. Anab. I. u. II. 3 St. Die unregelmässigen Verba. Exercitien (14tägig) und mündliche Uebungen nach Gottschicks Beispielsammlung; Extemporalien. 1 St. Obl. Schultz.
- Französisch. 2 St. Michaud hist. de la troisième croisade ch. I—IV. Die unregelmässigen Verba und die Lehre vom Artikel, Adjectiv und Adverb nach Plötz. 2. Curs. 58—69. Exercitien (14tägig). Obl. Schultz.
- Geschichte und Geographie. 3 St. Deutsche Geschichte von der Reformation und brandenburgisch-preussische nach Voigt. Die aussereuropäischen Welttheile nach v. Seydlitz. Uebungen im Kartenzeichnen. G.-L. Scholtz.

Mathematik. 3 St. Lehre von den Dreiecken, Vierecken, der Flächengleichheit; algebraische Zahlen und Quadratwurzeln im S.; geometrische Repetitionen und Kreislehre; Potenzenrechnung im W. Häusliche Arbeiten. Obl. Dr. Simon.
Naturbeschreibung. 2 St. Allgemeine Uebersicht der drei Naturreiche, nach Schilling; G.-L. Scholtz.

Unter-Tertia.

Ordinarius: Oberlehrer Beissert. Cursus jährig.

Religion. 2 St. Bibelkunde des N. T. Das Leben Jesu nach dem Evangelium Lucae. Memorirt wurden 8 Kirchenlieder. Der Ordinarius.

Deutsch. 2 St. Erklärung ausgewählter Gedichte, meist von Schiller und Uhland nach dem Lesebuch; Uebungen im Declamiren und Aufsätze (drei wöchentlich). Der Ordinarius.

Latein. 10 St. Siebelis tiroc. poëtic I., 1. III., 16—18, 21—33 und einzelne Abschnitte aus II. Mehreres wurde memorirt. 2 St. Im S. der Director, im W. Obl. Scholtz.
Caes. de bell. gall. I.—IV. 4 St. Wiederholung der Formenlehre; die Casuslehre nach Spiess. Exercitien (wöchentlich) und Extemporalien. 3. St. Die prosodischen Regeln und metrische Vorübungen. 1 St. Der Ordinarius.

